



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Capitularia Regvm Francorvm**

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

Admonitio de sequenti capitulo Bajuvariorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-19366**

elmandum injunximus. scilicet ut studiosè catholicorum patrum dicta percurrentes, veluti è lectissimis eorum pratis certos quoque flosculos legeret, & in unum quæque essent utilia quasi fertum aptaret. Qui nostræ celitutini devote parere desiderans, tractatus atque sermones diversorum catholicorum patrum perlegens, & optimâ quæque decerpens, in duobus voluminibus per totius anni circulum congruentes cuique festivitatî distinctè & absque vitiis nobis obtulit lectio[n]es. Quarum omnium textum nostra sagacitate perpendentes, nostra eadem volumina auctoritate constabilimus, vestraeque religioni in Christi Ecclesiis tradimus ad legendum.

## ADMONITIO

### De sequenti Capitulari Bajuvariorum.

**F**OEDIFRAGVS ille Dux Bajuvariorum Thaſilo cùm fidem Karolo Magno promissam levitate sua ſepe mutat[er], novâſque insuper res ab uxore Luitpurga perfunſus adversis eum moliretur, tandem de principatu ab eo ejectus est anno Christi septingentesimo octuagesimo octavo, ut ait continuator Pauli Diaconi à Marquardo Frebero editus. Nam Karolus audito Thaſilonem concitasse Hunnos seu Avaros ut bellum Franci inferrent, multaque alia, ut Eginhardus scribit, dixisse & fecisse que nonniſi ab inimico & irato vel fieri vel proferri poterant, habito generali populi ſui convenu in villa Ingelenheimensi juxta Moguntiam, in quo, ut Marcus Velserus tradit, Franci, Boii, Langobardi, Saxones, ceterique provinciales convenero, & accusatores audiuit, & reum peregit. Cùm nullum accusationis caput negaretur, uno omnium adſensu, inquit Eginhardus, ut læſa majestatis reus capitali sententia damnatus est. Sed clementia Regis licet morti addictum liberare curavit. Nam mutato habitu in monasterium missus est, ubi tam religiosè vixit quâm libens intravit. Ista ultima Eginhardi verba, que apud Amoinum quoque leguntur, Velserus acris iudicio preditionis vir dubiam apprime & ancipitem sententiam vocat, sed quam domestici annales opportune in commodiorem partem interpretantur, numirum eluisse benefactis superiores maculas. Sanè Thaſilonem postea obscuram admodum vitam duxisse hinc manifeste colligitur quod nondum inter auctores conſtat de monasterio in quod proiectus est ad agendam penitentiam. Ac si verum est eum in Gemmeticensi monasterio vitam finisse, ſalfa omnino ſunt que de prodigiis & miraculis ad sepulchrum ejus patratis vulgo circumferuntur. Vt cunque ſe res habeat, certum est illum principatu exutum ut perduellionis reum, vacuan fecisse provinciam. Eam Karolus non ita multò poſt ordinavit, deſcriptâmque Comitibus hoc est judicibus regendam tradidit, legisque veteribus addendas proposuit Reginoburgi in Bajoaria, quas Velserus ex veterum membranis edidit in libro quinto rerum Boicarum. Sunt autem illæ quas nos heic exhibemus.



BRUTTIA